Cantabr. in extremo actu Baccalaureorum 1603.

Anima humana non traducitur.

MEns geniti num sit gignentis vera propages,
An mage diuinis Cælo natalibus orta,
Rixatur miserè Schola litigiosa: Sed illi
Qui dicunt animam sortiri cælitùs ortum,
Soli, quod mentem deceat, sapuisse videntur.
Qui fingunt illam terreno semine natam,
Non pensant quæ sit Diæ præstantia mentis.
Discurrit, meminit, componit, diuidit, optat,
Omnia scire cupit, rerum scrutatur abyssos:
Quò vult, carpit iter, celeri velocior Euro:
Vno longinquos momento currit ad Indos:
Cùm sit decrepitum corpus, non illa senescit,
Sed primum retinet non deflorata vigorem.
Hanc quisquam (cuius melior sententia menti)
Virtutem esse putet mortali semine cretam?
Adde quòd (hìc quasi sit tristis peregrina) gemiscit
Dissolui cupiens, vt tandem læta reuisat
Natiuos illos, vnde est oriunda, penates;
Illos nempe, quibus regnat suprema potestas.

ERGO.

Spiritus Humanus non est ex traduce factus,
Sed venit â Cælo, Cælo viuacior ipso:

Colores in Iride sunt oculi figmenta.

Fallimur? & vanos ludunt phantasmata sensus?
An quæ puniceo Cælum curvamine signat
Induitur veros Iris formosa colores?
Nil minus. Est solùm lumen quod Cælicus arcus
Ostentat nobis, sola irradiatio Solis
In nubem oppositam: quæ cum sit rorida valdè,
Nec sibi per totum similis; sed parte supremâ
Subtilis paulò, mediâ magè crassa, sed ima
Crassa tamen mage sit; quod non est, esse videtur
Tricolor, & miserè stolidis imponit ocellis.
Sic cùm non habeat proprios maris vnda colores,
Mentitur tales Phæbi percussa sagittis.

ERGO:

Credulus est oculus nimiùm, qui censet amictus
Esse coloratos verè, quos induit Iris.